

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Heinrich Schuckmann

**Programma QUo Sanctorum Angelorum Custodiam, ministerium & consortium,
Ad Dei gratiam referendum. Omnibus Academiae Civibus sedulo commendat
Rector Universitatis Rostochiensis Heinricus Schuckman, Iuris Doctor &
Professor. P.P. Rostochii, ipso die Michaelis, Anno 1654. Sub Sigillo Rectoratus**

Rostochii: Kilius, 1654

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734839723>

Druck Freier  Zugang



R U Progr 1654

- 1) Quistorp, Dok.
- 2) " "
- 3) Schäckmann, Diarr
- 4) " "
- 5) Lenoble, Norm.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn734839723/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734839723/phys_0002)

DFG

2440.
4-39.

PROGRAMMA
QVO
SANCTORUM
ANGELORUM

Custodiam, ministerium &
consortium,

Ad Dei gratiam referendum.

Omnibus Academiae Civibus sedulò commendat

RECTOR

Universitatis Rostochiensis

HEINRICUS SCHUCKMAN,
Juris Doctor & Professor.

P.P. Rostochij, ipso die Michaelis, Anno 1654.

Sub Sigillo Rectoratus.



ROSTOCHII,

Typū NICOLAI KILLI, Academ. Typogr.



Ectè celebrant MI-
CHAE LIS festum ij, qui
& DEO gratias agunt de-
custodiâ Angelorum san-
ctorum, Ecclesiæ datâ,
& detestantur toto pecto-
re opera Diaboli, pugna-
turi in eum velut hostem
implacabilem, duce Christo indesinenter.
Neq; verò consistere alterum sínè altero potest,
nec adeò autorem præsidii sacri Angelici quis-
quam glorificabit ut fas est, qui nuncium non
miserit ante potestati tenebrarum, eique bel-
lum continuum & quod non nisi victoriâ atq;
triumpho glorioso æternū duraturo terminen-
tur, de animi sententiâ indixerit. Contraria
sunt & ~~arvata~~ prorsus superorum & inferorum
Spirituum, bonorum & malorum studia ac o-
pera, proindeq; ab illis custodiam aut ministe-
rium ad DEI bonitatem ceu originem suam re-
ferendum, frustrà sibi pollicentur, qui horum
damnabili consortio, quod vitiis facile consta-
tur, & DEI solius gratiâ potentiaq; dissipatur,

A 2

non

non abdicaverint seipsoſ mature ſerioq; Mali
ſpiritus, ex quo apostatae facti in tartarum de-
truci ſunt, odio æſtuantes invidiāq; infatiabili,
nihil non moliuntur eorum, quæ DEI gloriæ
derogent & ſaluti hominum officiant. Boni ex
adverso cum ad laudem DEI, tūm pro illorum
emolumento qui curæ DEO ſunt, & ipſi agunt
quicquid agunt, & aliiſ eadem vel ſimilia eodem
fine aeturis nunquam defunt. Mali DEUM
criminantur, intenti in id ut dubiam homini-
bus aut inanem reddant ejus veritatem, justi-
tiam, bonitatem, ipſi nempē mendacissimi,
injustissimi, nequissimi. Boni sanctitatem
DEI, cui repugnat quicquid vitiosum eſt, ſub-
miſſe venerantur & altâ voce prædicant. Illi in
omnis generis crimaſ homines illiciunt, ille-
ctosq; coram DEO accuſant & damnationis
reos agunt. His quemadmodum lapsuſ ho-
minum tristitiam, ſic lapsorum reſiſcentia
gaudium creat. In prosperis impellunt nos ad
elationem, qui ipſi met pœnas ſuperbiæ, quas
olim meruerunt efferentes ſe contrà DEUM,
& thronum aſſeſtantes & qualem illi quem fili-
us DEI unigenitus tenet, ſinè fine daturi ſunt:
In adverſis verò ad desperationem adigunt ter-
ritos irâ DEI, vel adigere omnibus modis co-
nantur, ipſi nullam ſalutis ac redemptioni ſpem
haben-

habentes. Sed boni in secundis pariter & adversis rebus, hic sublevando quod onerosum, & ibi quod noxiū est subinde removendo, pericula cum animabus tum corporibus nostris impendentia innumera nunquam non arcere student, quippe demandatas sibi à DEO excubias fideliter agentes, semper & ubiq; vigiles. Tām evidens igitur cum sit tamq; hostilis pugna inter ea quæ à Diabolo & ea quæ à sanctis Spiritibus proficiscuntur, tantū abest, ut faventes sibi habeat beatos Angelos, deq; custodiā vel ministerio eorum certus esse possit, ut potius & illos omnes & ipsum immensæ potentiae DEUM inimicos sibi metuere debeat, quisquis expleverit Diaboli desideria, hoc est secundum carnem, vel naturam quam veneno suo serpens antiquus, orbis totius seductor infecit, sciens volensq; vixerit, nec vivere desierit. Quid enim favoris, præsidii subsidiq; sperabit mens DEO diffidens, ab iis qui toti à DEO pendent, quid lingua blasphemā à gloriæ divinæ præconibus, quid invidus à beneficis, quid ab humilitate superbia, à castis immunditia, quid iracundia à mansuetudine, quid inobedientia, quid impudentia ab illis, qui jussa DEL promptissimè expediunt, & præterea ordinationum divinarum observantissimi & stimatores, quò minus illæ labefactentur, omni studio ca-

A 3

vnt.

vent? Abrahamum visitabant Angeli, sed hospitatis exercendæ, & fidei per charitatem demonstrandæ studiosum. Eripuerunt exitio Sodomitico Lotum, animam illam justam, & lascivâ nefariorum conversatione sceleratisq; illorum factis visis atq; auditis excruciatam ac fatigatam. Obviam venerunt turmatim Jacobo, homini non profano sed integro, non in suis ipsius meritis sed in solâ vocationis divinæ gratiâ recumbenti, nec varias sustinere tribulaciones recusanti. Adebat Angelus Domini trigæ virorum versantium in fornace Babylonicâ, sed qui idolum Regis adorare, non attentâ maiestate regiâ, & præeuntium summorum juxta ac imorum multitudine, nec non supplicii gravitate susq; deq; habitâ, animo quo erant præfenti atq; constanti renuentes, mandatum protestatis terrenæ, ut sublimioris, mandato invisibilis DEI postposuerunt. Ora sævorum & famelicorum Leonum obstruit missus à DEO Angelus, sed Danielis causâ, ejus nimirum, quem movere, ut desisteret à precibus ad verum DEUM fundendis, nec autoritas magni Regis, nec oblatâ felicitas, nec pœnæ metus potuit. Angelus ex carcere educit Petrum, at confessorem nominis Christi intrepidum. Deportant Angeli in sinum Abrahami animam Lazari, illius nempè

nempè qui auxilium à mundo negatum in
DEO quæsivit. Castra metatur Angelus JE-
HOVAH, circà timentes eum. Ita Ange-
lorum præsentia, quæ ministerio & custodiâ
absolvitur, DEI gratiam præsupponit. Hâc ne-
gatâ, nemo de tutelâ cœlesti, quam & per Ange-
los DEUS præstare constituit, certus esse potest,
Id ergò ante omnia, Cives Academicí, agendum,
ut quisq; sibi DEUM habeat propitium. In
humanis usu venit, ut quò se Principis inclinat
clementia, eò & favor inclinet aulicorum o-
mnium, quantumvis ut plurimum assentoriè.
Sic DEO propitio, non potest non universa cœ-
lestium hierarchia ad eum, cui benè vult DEUS,
se demittere, sed affectu planè sincero omnisq;
fuci experte. Mentiuntur verò divinæ gratiæ
communionem, quotquot virtutibus vicia
præferunt, suis ipsorum indulgentes concu-
piscentiis, seq; adeò principi tenebrarum,
quo superiores esse poterant numeroſo bea-
torum Angelorum præſidio stipati, velut abje-
ctissimæ servitutis mancipia subjiciunt. Tan-
tum juris in hominem habet Cacodæmon, quan-
tum ei concesserit homo ipse. Non est, inquit
Ambroſius, quod cuiquam nostram adscriba-
mus ærumnam, niſi voluntati. Voluntarium
ſibi militem eligit Christus, voluntarium ſervum
ſibi

sibi Diabolus auctionatur. Neminem jugo ser-
vitutis adstrictum possidet, nisi se ei prius pec-
catorum ære vendiderit. Faxit verò Beni-
gnissimus D E U S, ut liberati à potestate tene-
brarum, ita deinceps fruamur partà per sangvi-
nem Christi pace spirituali, reducente ad unum
caput omnia tām ea quæ in cœlis quām quæ in
terrā sunt, ne & gratia D E I, & quæ eam comita-
tur Angelorum Sanctorum custodia in præsenti
seculo, eorumq; consortium lætissimum
in futuro quenquam nostrum
destituat!





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn734839723/phys_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734839723/phys_0011)

DFG




Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn734839723/phys_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734839723/phys_0012)



generationis nostræ. In quô , qui
ligioso gaudio , à pio jubilo te
Quare, O Cives ACADEMIÆ
lis honoratissimi ; (ut vos cum
quar) gaudemus , lætemur &
quippe Salvator noster natus est.
locum esse tristitia , ubi natalis est v
in Domino dilectissimi , & Spiritu
lætemur ; quia illuxit dies reden
reparationis antiquæ , felicitatis .
te & Vos Adolescentes florentis
in Domino D E O , sed non in D
in tantâ solennitate , perversam ,
miserere hilaritatem ; Sacris in pr
nibus vacate ; Templa & Concio
nas & tabernas , impiissimorum
bula visitare ; VER BO DEI , no
sed & animum præbete ; Cavete
jus festi quietem , petulantissimis
scurilibus discursionibus , bel
bus turbetis . Abstinete , mone
ter , ab omnibus illis actionibus ,
dinem hunc honestissimum li
maculare , D E O q ; & hominibus
re possunt . Potius , sobriâ & de
tis ac compositis , ad præscriptum
ribus , fideiq ; cultu , DEI favore



i à re
terit .
Titu
allo
bodie
as est
emus
ditate
novæ ,
cultu
ltate
holite
m im
tatio
popi
lati
ures ,
ii hu
ibus ,
mori
fidel
; Or
com
edde
, sed a
, mo
, mo
, re
tine .